

19

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
VALETVDINARIIS BELLICIS
BENE CONSTITVENDIS.

QVAM
ANNVENTE DEO
RECTORE *MAGNIFICENTISSIMO*
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE
REGE, ELECTORE AC DVCE BRVNsvICENSIVM
AC LVNEBVRGENSIVM &c.


CONSENTIENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO

PRO
OBTINENDIS DOCTORIS MEDICI
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DIE XXVII. NOVEMBR. MDCCCLIX.

PVBLINE DEFENDET

CAROLVS FRIEDERICVS LESCHEN

BARTOLDFELDA - HANNOVERANVS.



GOTTINGAE
LITTERIS HAGERIANIS.

DIESER TATTOO UNDICAY MAGGARIS
VANLTADNIRIS BELTICIS
HEIN CONSTITUENDIS
CLOTHES
WANTINGE DES
PROTOTYPE MAMMOTH
POTINNISMO HUNTER AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO II

CONVENIENTE CLOTHES ORIGINIS
THE
OPTIMUMS DOCUMENTS MEDIC
HONORABE AC TRINITATE
DE XXVII MARCHI MDCCLX
AETATE DILECTUS
CAROLAZ RIEDERICAS LIECHEN
HERALDICISCAZ ET ALIA
CLOTHES
GOTTINGAE
CITTAZ HAGENAE

VIRO
ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
**CHRISTIANO POLYCARPO
LEPORIN**

MEDICINAE DOCTORI
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI MAGNAE
BRITANNIAE REGIS
MEDICO CASTRENSI PRIMARIO
DOMINO PATRONO ET EVERGETAE SVO
AETERNVM COLENDO

CHRISTIANO POLYCYRPO
LEPORIN

AGACIUSI AC GOTRINTISI MAGNAE
KIRIANIAC TRIMARCO
MEDICO CASTRINI TRIMARCO
DOMINO LATRONO ET EXERCITATIONE
AETERNAM COELUM

VIR ILLVSTRIS!
S in eo bellissimum dñe regnante
anniversarij punctionis cum longe LX
PERIEVATISSIMUM accedens
et noster misteriis operis gloriatur. S
etiam curcum quod ex aut di seculi
cessus cibas reddunt. S dñs Dñe per
ducit Oeque ligatione
Paucis, de valetudinariis bellicis in
hoc qualicunque dissertatiuncula hal-
lucinaturus, merito dubius animi
haereo, utrum hisce pagellis **TE**
VIRVM ILLVSTREM & non
modo

modo in universa arte medendi, sed
¶ in ea potissimum, quae aegrotos
militiam sequentes curat, longe **EX-**
PERIEN TISSIM V M accedam,
¶ velut anser inter olores strepam.
Ait truncum amplexatur qui verti-
cem capere nequit, ¶ quis Davo hoc
vertat vitio, si cum Oedipi sapientia
suam non potuit adaequare; voluis-
se tamen eum atque studuisse, bonus
quisque lactatur.

Et quid multa? **TVA** humanitas
TKVM que cuilibet benevolendi ¶
bene-

benefaciendi studium, quo omnium o-
culos animosque in TE TANTVM
VIRVM convertis, me spe bona
complevit, TE, quem & mibi bene
cupere ex TVO amico, eodemque
fautore meo pie devenerando, laetus
intellexi, hoc qualemque studii mei
specimen serena, i.e. TVA fronte re-
cepturum, eoque sub tegmine tanti
TVI NOMINIS in lucem edito,
submissi animi mei cultum publice te-
stari esse passurum.

Per-

Pergas itaque; PATRONE ac
FAVTORE aetatem colende; pergas
favere, qui nec noctium nec dierum
imperata defugit,

ILLVSTRIS TVI NOMINIS


Dabam

Rosdorff prope Gottingam
die XII. Novembr.

M D C C L I X .

observantissimo & obsequentissimo
clienti

AVCTORI.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
VALETVDINARIIS BELLICIS BENE
CONSTITVENDIS.

§. I.

Purimae causae sunt, quae milites bellum gerentes praeter caeteris mortalibus in vulnera morbosye variaque corporis & valetudinis damna coniiciunt atque praecipitant: quas tamen vel causas vel laesiones hic enumerare nihil attinet. Aegros autem milites curare, tum humanitatis respectus, & stipendiorum diu meritorum memoria iubent, tum exspectatio novorum strenuae militiae speciminum, quae scilicet ab iis, qui militiam iam experti sunt, post restitutam valetudinem melius, quam a novitiis, praestari poterunt. Singulis tamen electionem medici relinquere, aut paucis suos dare medicos, & ministros & loca decumbendi, quum propter multitudinem aegrorum non liceat, societasque militum &

A

prae

DE VALETUDINARIIS BELLICIS

praefectorum ratio suadeat plurimos uno continere loco; appareat, publica communiaque pro militibus aegris valetudinaria esse constituenda, quibus multi a paucis commodius, meliusque & minore impensa curari possint: adeoque haec valetudinaria praecipua res haberi debent, in qua medicorum in bello opera verisetur. Quae igitur ut ita ordinentur & administrentur, ut milites ad sanitatem quoad fieri optime possit perducantur, in primis singulari cura prospiciendum erit.

§. II.

Praecipua autem, quae ad nosodochium tale constituendum pertinent, sunt primo & principe loco ipsi aegri milites: deinde medici *καθ' ἐξοχὴν* ita vocati, chirurgique & pharmacopoei, cum suis ministris, neque non famulis utriusque sexus: adhaec, qui curam animarum gerunt: denique praefectus: tum medicamenta instrumentaque omnis generis, quibus etiam fasciae, splenia, similiaque annumerari debent: alimentorum item & potulentorum iusta, & usui conveniens copia: praeterea lectorum, stragulorumque, vestimentorum linteaminum, caeteraeque supellectilis, utensiliumve plenus apparatus: denique aedificia apta cum suis conclavibus, hypocaustis, reliquisque partibus. In quibus omnibus, quae potissimum vigilatimque & praeter communia praecepta animadvertenda observandaque sint, videamus. Satis autem appetat, in hoc arguento gregarios proprie milites spectari: siquidem aliquo gradu praestantes nosocomiis inferri non solent.

§. III.

BENE CONSTITVENDIS.

§. III.

Est quidem, ut in reliquis aegrotantibus, sic in militibus etiam aegris, restitutio sanitatis illa ratio, ad quam omne consilium in constituendo administrandoque valetudinario bellico dirigi debet. Conditiō tamen vitae militaris sui simul rationem haberi postulat, & quod haec proprie secum fert, una respicere. Esse vero milites solent, & esse debent durioris vitae, firmiorisque corporis; qui quidem ad nosocomia mittuntur. Quamobrem in ipsorum curatione eo respiciendum erit, ut partim talia adhibeantur remedia ciborumque ac potuum genera, quae durioribus hominibus convenient: partim ut robur corporis & membrorum in primis restituatur, aut conservetur, quique talibus morbis vitiisve laborant, aut ita affecti sunt, ut plenum robur valetudinis recuperandi spes decollet, a bellico nosodochio in alia loca ablegentur.

§. IV.

Dubitatio hoc loco moveri posset de eo, quod dictum est, ad robur corporis recuperandum vel conservandum in militibus praesertim aegris maxime dirigendam esse curationem. Nam in reliquis pariter hominibus omnibus id praecipue videtur propositum esse debere medico, ut robur corporis quam maximum instauretur: siquidem eo melior est habitus sanitatis, quo maius corporis robur fuerit. Sed primum non ita statuendum erit, ut is optimus in omnibus status valetudinis sit, quo maximum virium corporisve robur est. Sanitas enim cuiusque eo in statu optime



DE VALETUDINARIIS BELLICIS

se habet, quo ad sua quisque negotia, pro ratione suae naturae quam maxime idoneus est. Quapropter non solum natura hominis per se, sed ipsum quoque, quo utitur, vitae genus, spectari debet, ut definiatur, quali quisque virium robore opus habeat. Ita, verbi gratia, non eo corporis robore litterarum studiosus eget, pro functionibus quae ipsi incumbunt, quo rusticus, aut metallifoscor, aut faber ferrarius. Quin & *Cous* 1) *Hippocrates*, *Corneliusque* 2) *Celsus* athletarum habitum ac valetudinem, tanquam plus periculo obnoxiam improbant. Accedit, quod ipsum vitae genus robori membrorum acquirendo responderet, quo magis vel minus corpus laboribus & exercitationibus deditum est. Quod autem corpori robur semel acquisitum aliquis, id ei tantisper, dum eiusdem conditionis manet, conservandum est. Quum igitur vitae militaris ea sit ratio, ut praeter multos alios mortales firmitate corporis validisque viribus in primis opus habeat, ad graves belli labores exantlandos, plurimaque adversa perferenda, in militibus, etiam quod ad nosocomii rationes attinet 3), singularem curam adhibendam esse liquet, ut sani corporis robori opera impendatur.

§. V.

1) *Aphorism. L. 1. aphor. 3.*

2) *de Medicina L. 1. Cap. 1.*

3) Extra valetudinarium quoque & dum adhuc bene valent, militibus robustum corpus agilesque vires erunt comparandae valentiore materia ciborum ac potuum, laboribus, exercitationibusque, quod tamen pluribus exponere, non est huius loci.

BENE CONSTITVENDIS.

§. V.

Dum autem robur in militibus desiderari dicimus, non quidem eiusmodi robur intelligimus, quod tantum, aut maxime, vasta corporis mole constet, ac valida agendi vi polleat. Nam nisi prompta simul artuum agilitas coniuncta sit, saepe parum in rebus agendis proficeret eiusmodi robur, & a promtioribus adversariis praeverteretur. Quod ne fiat, tale robur esse & induci corpori debet, quod magna simul & celeri virtute constat. Ad quod utrumque praestandum opus erit, ut partim adsit iustus modus firmitasque fibrarum morticium sive muscularum lacertorumque, cum annexis ossibus ac ligamentis similiter constitutis: partim sufficiens copia vegetusque motus sanguinis, & ab hoc emanantium humorum.

§. VI.

His ergo positis principiis, primum illi ex aegris militibus, quorum vulnera morbive ita compari sunt, ut ad pristinam sanitatem functionumque militarium exercitium revocari omnino non possint, separandi a reliquis sunt, & quantocius conditio eorum fert, in patriam ablegandi. Nam quia nullum amplius usum militiae praestare poterunt, non decet illis augere numerum curandorum, & distracta opera in eos quoque inpendere nosocomii bellici sumitus & curas, quae militibus ad ipsum bellum gerendum adhuc idoneis futuris potiore iure debentur. Eiusmodi laesiones aut morbi sunt phthisis vera, hydrops consummatus, truncae manus aut pedes, herniae non coercedae, & similia.

A 3

§. VII.

§. VII.

Ex simili etiam ratione illi a reliquorum laborantium consortio erunt segregandi, qui quidem ita affecti sunt, ut ad magna belli opera praestanda, graviaque in castris & acie veraque discrimina subeunda, reddituros necessariis viribus esse, nulla spes supersit; sed quorum tamen corpus, licet debilitatum labefactatumque, levioribus saltim militiae ministeriis obeundis sufficiat, ut e. g. custodiendis deducendisque captivis, praesidiis excubiiisve agendis, verbo, qui Invalidorum, ut vocantur, alicuius adhuc operae capacium numero comprehendendi solent. Cuius generis sunt calculosi, ex vulnere fracturave claudicantes, vel manu aut capite debiles & similes. Hitemen nosocomio huiusque curationi committendi sunt, sed separatim ab eiusmodi aegrotis, a quorum morbis noxam graviorem ne contrahant, timendum est.

§. VIII.

Inter milites ipsos, qui in valetudinarium recipiuntur, id discriminem haberi debet, ut qui vitiis morbisve vel natura sua effectisque, vel ratione curandi magnopere inter se differentibus laborant, a se invicem secludantur, & diversis partibus aedificiorum retinentur. Quamobrem qui tantum ex vulneribus, fracturisve, aut similibus, fauicii, caeteraque sani sunt, separatim habendi: nam & externam fere tantum chirurgorum curationem desiderant, & ab aliorum consortio aegrorum damna valetudinis, certe impedimenta

ta

BENE CONSTITVENDIS.

7

ta curationis pati possent. Similiter, qui venereis foeditatibus infecti sunt, propter ipsam hanc spurcitem, & gravitatem excretorum, curandique methodum aegrotantibus aliis adversam, reliquis permiscendi non sunt. Qui vero benignioribus morbis affecti sunt, sollicite longeque removendi ab iis, quorum affectus maligni adeoque contagiosi sunt; cuius quidem posterioris generis maximam partem esse solent castrenses & nosodochiorum interni morbi cum febre coniuncti.

§. IX.

Quod ad Medicos attinet, principes illi sive proprio magis nomine ita vocati, qui tum generalem aegrotantium curam gerunt atque ordinant, tum speciatim internos sic dictos affectus sibi demandatos habent, ex ipsis his officii sui rationibus probe debent perspecta habere vera solidaque totius artis omniumque eius partium fundamenta, maxime tamen pathologiae cum semiotica, chirurgiae medicae cum anatomia, rei medicamentariae, denique therapiæ: quo non tantum ipsi morbos recte curare sciant, sed etiam chirugos pharmacopœosque dirigere.

§. X.

Quum autem multi simul aegri in valetudinario bellico curandi sint, eorumque rationes & ipsi plerumque morbi vel laesiones celerem in primis operam & promptam remediorum administrationem efflagitent; experientia quoque praeter theoriam & usu artis exercitatum esse decet medicum nosocomii bellici, quo

8 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

certam expeditamque sine haesitatione opem afferre possit laborantibus. Sigillatim vero in militarium morborum vitiorumque tractatione versatum esse oportebit, quo propria ipsorum, & quid a communibus aliorum morborum differant, bene cognita habeat. Quam peritiam quo consequatur qui ad gradum illum enititur, consultum foret, aliquamdiu castra eum sequi, 4) & lateri medicorum publicorum adhaerere hisque ducibus ac magistris morborum bellicorum curationibus assuescere: vel in praesidiariis militibus curandis antea esse versatum.

§. XI.

Et sane suadendum est, ut non tantum Medicus valetudinarii bellici ordinarius iuvenes secum habeat eadem arte initiatos, quibus tanquam administris utatur, & quos ad eandem spartam aliquando gerendam informet atque praeparet: Sed etiam, ut pro nosodochio permultis multorumque generum aegris referato plures constituantur medici, qui vel pro aegrotantium numero aedificiorumve partibus, vel pro generibus differentiisve malorum, aegros inter se partiantur; quo singuli suis melius consulere, adesse, auxiliu[m]que praestare possint, neque unus nimia curationum mole obrutus, in necessitatem negligendi quedam incurrat. Hinc pariter colligi potest, divisas etiam esse debere partes medicorum nosodochii ab illis reliquorum medicorum castrorum sive bellicorum, quorum, si rite res ad medicinam in exercitu pertinentes agi velint duces, utique plures esse 4) conf. Hippocrat. de Medico Cap. XI.

oportet, praesertim in numeroiore exercitu, ut medici ducum p^raefectorumve, medici supremi dirigentes aut generales, medici divisionum seu minorum agminum.

§. XII.

Vt vero valetudinarii medicus scientiam suam adaugeat, memoriamve eorum, quae olim didicit, resuscitet, tum & experientiam confirmet aliorumque consensu corroboret; bonos, oportet, de medicina militari eodemque pertinentibus rebus tractantes libros secum circumferre & lecitare. Horum praecipui videntur esse RAYMVNDI MINDERERI *Medicina militaris, das ist gemeine Handstucklein zur Kriegs-Arzney gehörig*, lingua Teutonica 1621. Augustae Vindelicorum in 12 edita, posteaque saepius recusa, optimae pro illis temporibus notae, & utilium ex ipsaque experientia profectarum praeceptionum plenissima: IOH. VALENTINI WILLII tractatus medicus de morbis castrenis internis, Hafniae 1676.

4. DAN. LUDOVICI liber Teutonicus de morbis castrenis, iterum a Dav. Kellnero editus Gothae 1685. 12. etiam operibus Ludovici coniunctim editis latine insertus: IANI ABRAHAMI A GEHEMA *wohlversehener Feld-Medicus*, Hamburgi 1684. 12. Eiusdem der kranke Soldat 1690. 12. LVCAE ANTONII PORTII de militis in castris sanitate tuenda opus quadripartitum, Vindobonae primum editum 1685. secundum vero Neapoli 1728. 8. novissime curante IOH. CHRISTOPH. RIEGERO Hagae Comitum 1739. 8. mai. cui Willianus tractatus supra dictus

B

ad-

16 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

adiunctus est; idem opus reliquorum quoque Portii operum syntagmate comprehensum est, in eruditis quidem potissimum disquisitionibus occupatum: BERNARDI RAMAZZINI caput de morbis militum, in opere de morbis opificum: IOH. AUGUSTI STOELLERS Untersuchung des Wachstums der Menschen in die Länge, ingleichen was Soldaten von ihren gemeinsten Maladien und deren Curen zu wissen nöthig haben, Magdeburgi 1729. 8. IOH. GEORG HEINR. CRATMERS Medicina Castrensis, Teutonice conscripta, Norimb. 1735. 8. IOH. STORCH von den Kranckheiten der Soldaten, Norimb. 1735. 8. Abregé de la Medecine Pratique, ou nouvelle Pharmacopée, ouvrage composé par l'ordre de Son Altesse Royale le Duc de Cumberland par les Medecins & Chirurgiens de l'Armée du Roi d'Angleterre traduit de l'Anglois, & enrichi des notes par Mr. D. M. à Paris 1753. 8.: Kurze Beschreibung und Heilungsart der Krankeiten welche am öftesten in dem Feldlager beobachtet werden, Wien Prag und Triest 1758. 8. nervosa compositio. Huc quoque conferenda dissertationes academicae similis argumenti, ut IOH. GOTTSCED & IOH. DEODATTI BLUMENTROST Exercitatio practica sistens medicum castrensem exercitui Moscovitarum praefectum, d. 9. Nov. 1700. Regiomonti in 4. MICHAEL ALBERTI & CAROLI LUDOVICI STORCH Diss. de militum valetudine tuenda, Halae Magdeburg. 1729. Eiusdem ALBERTI & DANIEL DREILOVII Diss. de præservatione morborum militarium, ibid. 1745. JOSEPHI IGNATII ROGG Diss. de morborum castrensem perniciei causis, Altorfii 1735. FRID. HOFFMANNI

BENE CONSTITVENDIS.

MANNI & IOH. GEORGII LESSER diss. *de militum valetudine tuenda in castris* Halae Magdeburgicae 1735. HERM. PAVLI IVCH & AVGUSTI WAGENERI diss. *de morbis castrenisibus*, Erfurti 1747. Taceo de scriptis, quae singularia medicinae bellicae argumenta pertractant, quale est HENR. SKRETAE A ZAVORIZZ von der *Lagerfucht*, Schafhausen 1676. 8. idemque in latinum conversum sub titulo *de Febre castrensi maligna*, ibid. 1686. 8. &c.

§. XIII.

Medico etiam id propositum esse debere, scribit HIPPOCRATES 5), ut videat, quo ipse bono praeditus sit colore bonoque carnis habitu, secundum suam ipsius naturam: Etenim qui non sic bene comparato corpore sit, eum neque alios bene recteque curaturum, vulgo existimant. Quod quidem ad universam medicorum familiam pertinet, maxime tamen ad bellicos, quandoquidem his plurimae praeter ceteros rerum externarum iniuriae, labores, molestiae que perferendae sunt, quibus ut sine detimento valetudinis resistant, aegrisque curandis sufficient, firma sanitate vegetoque corpore inprimis opus habent. Talem itaque valetudinis habitum in bellicas expeditiones afferant, & perpetuo conservare studeant. Et quoniam hic in iuniorem ac virilem potissimum aetatem cadit, ea aetate medicus ad hoc officium esse videtur aptissimus. Reliqua vel ex integritate valetudinis consequuntur, vel huic cum aliis medentibus com-

s) *de Medico* Cap. I. sub initium.

munia sunt: ut quod ad perfectionem sensuum, praefertim visus, attinet, & similia.

§. XIV.

Inter animi dotes Medicum, inter belli tumultus periculaque & calamitates, inter gravissima vulnera morbosque, & inter viros ad omnem audaciam duritiamque compositos promtosque, milites scilicet, verstantem, decet in primis *intrepido, forti, constantique esse animo*; ne conturbetur in rebus suis agendis, & praesertim in vulneratis fractisve rite curandis, ne molitie animi remissius iusto rem gerat. 6) Propter easdem rationes militares, *vultum pree se ferat, ex HIPPOCRATIS preecepto 7) gravem ac meditabundum, non vero amarulentum: ne scilicet ex altera parte morosus & aliorum hominum ofor atque contemtor habeatur, ex altera vero in nimiam hilaritatem ac risum solitus, unaque immodestus, id quod in primis vitandum erit.* Ipsa autem gravitas bellicoruni periculorum atque calamitatum, & curationum peragendarum, rite animo obversans, hunc ad vultus gestuumque gravitatem componet. Quam quidem ad rem pari-

6) *esse debet, sicut in chirurgo CORN. CELSVS requirit Lib. VII. pree. animo intrepidus, immiscricors, sic ut sanari velit eum, quem accepit, non, ut clamore eius motus, vel magis, quam res desiderat properet, vel minus, quam neceſſe est, fecet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagibus alterius affectus oriretur.* Atque hoc in primis convenient, quod A M I L I V S C A M P O L O N G V S, insignis quondam Medicus Patavinus, dixisse fertur, *audaciae, inquiens, me nunquam poenituit, timiditatis semper.*

7) l. c.

pariter aetas adultior sive media & virilis, sicut ad fir-
miorem sanitatem, aptissima videtur, neque minus ad
autoritatem certius conciliandam. Propter subitos au-
tem belli casus & multitudinem aegrorum, qui ad no-
soconium mitti solent, prompta celeritas dexteritasque
consilii operaequa medico necessaria est. Praeterea,
cum aegris inferioris conditionis, quiqe tot belli va-
letudinisque malis misere conflicantur, conversantem,
debet esse communem ac facilem erga quoscunque,
patientem taediorum atque incommodorum, diligen-
tem ac sedulum in aegrorum salute curanda commo-
disque promovendis, vestitu honesto & expedito uten-
tem sine elatiore cultu fastuque, qui tenuiores a confa-
bulando deterreat, vietu quoque faciliter parabiliue con-
tentum, prout res tempusque ferunt, & quae sunt a-
lia huiusmodi; denique ad omnem virtutem ita esse
compositum, ut iis, quos regendos habet, vel inferio-
ribus medicis, vel chirurgis, vel pharmacopoeis, cae-
terisque exemplum, quod intueantur ac sequantur,
praebeat. Quae quidem omnia medentibus aliarum
classium etiam servanda incumbunt, sed praecipuo ta-
men quodam modo, propter aegrorum temporum
que ac locorum rationes, illis castris in valetu-
dinariis.

§. XV.

Vt vero singuli recte curentur aegri, quidque
pro unoquoque praescriptum aut ordinatum & praee-
ptum sit, quaeve impensa factae, constet; accurati
conficiendi continuandique sunt indices aegrotan-
tium, secundum diversitatem morborum, cubiculo-
rumque

14 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

rumque similiumque distinctos, cum annotatione re-
liquarum rerum eo pertinentium.

§. XVI.

Singulari studio prospiciendum erit, ut, quae chirurgorum pharmacopoeorumque sunt, recte fiant & administrentur, idque tanto magis, quo minus utriusque solida plenaque eruditione partiumue suae scientiae notitia instructi esse solent: quare cum bonis probatae que fidei viris huius generis, consilia operaque, ad suas partes pertinentia, conferenda, laboresque eorumdem adiuvandi, ubi & quoad necesse est. At quorum non est ea peritia, vel doctrina, vel dexteritas, vel fides, ii, pro re nata, vel aliis tanquam ministri adiungendi, vel certe diligentius saepiusque inspectandi, quomodo eorum instrumenta cum reliquo apparatu, quomodo medicamenta comparata sint & serventur, quaque ratione res suas agant, assistendum eorum operibus, &c, ubi quid delinquent aut errant, aut perperam nocenterve adeo faciunt, admonendi corridentique. Denique, quum ad curationes aegrorum recte pleneque perficiendas magnopere necessarium sit, ut alimenta, lecti, linteamina, vestes, caeteraque eo pertinentia, bonaे notae, & quantum satis est, semper praesto sint, itemque qui valetudinario famulorum, ancillarum, ministrorum cuiusvis generis, operam praestent, iusto numero reperiantur, suasque partes, sicut decet, ac debent, agant; ad haec quoque omnia cura medici convertenda diligenter est, & qui his rebus comparandis ordinandisque praefecti sunt, adeundi & admonendi sunt, quoties opus fuerit.

§. XVII.

§. XVII.

Chirurgorum opera maxime indiget exercitus eiusque valetudinarium. Hi ergo quum in omni arte sua bene non tantum instituti praeceptis, sed etiam usu versati esse debeant; tum praesertim in anatomicis, in vulneribus, fracturisque, contusionibus & ambustis tractandis, vincturis deligandis, operationibus perficiendis, medicamentis, quae ad suam partem pertinent, componendis, nec non in venereis malis curandis, quandoquidem haec tam late per exercitus fusa esse solent. Optandumque propterea vehementer est, ut chirurgi per Germaniam ubique, ad aliarum nationum morem, melius erudiantur usque ipso formentur,

§. XVIII.

Quum vero tam amplius & multiplex in nosocomio bellico rerum chirurgicarum usus necessario sit, facile perspicitur, & multos eius artis peritos desiderari, & variorum generum ordinumve, nominatim primarios & superiores, qui res maioris momenti ipsi agant, & reliquos regant: tum inferiores, ministros, discipulos, & in his barbitonores balneatoresque, sicut appellari adeoque per Germaniam plurimi esse, solent, sanguinem illi quidem etiam incisione & curbitulis detrahentes, & medicamenta curationesque levioris operae confidentes.

§. XIX.

Vt autem tanto maiores melioresque in arte sua progressus faciant chirurgi bellici, magisque officiis suis

16 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

suis obeundis sufficient; apprime conductit, bonos de huius generis arguento assidue cum cura legere & meditatione persequi libros. Cuiusmodi sunt, Ioh. AGRICOLAE *neue Feldscherer - Kunst*, Francofurti 1634. in 12. edita, deinde saepius recusa: & locupletius opus simile MATTHAEI GOTTFRIED PVRMANNI *rechte und wahrhaftiger Feldscherer*, Halberstadt 1680. in 8. Lips. 1693. in 8. caet. AVGVSTINI BELLOSTE *Hospital- und Lazaret-Chirurgus*, ex gallico conversus, Dresdae 1703. in 8. ABEILLE *le parfait Chirurgien de l'Armée*, Paris 1696. in 12. CASP. SCHROETERIS *wohl practicirter Feldscherer, nebst einer compendiösen Beschreibung eines Feld-Kastens*, Francof. & Lips. 1713. in 8. Ioh. GEORG. HEINR. KRAMERS *Medicina castrensis chirurgica*, etiam germanice, Norimb. 1740. in 8. Cumprimis utiles ad exempla proponenda meditationesque suggestendas, sunt *observationum chirurgiae militaris scriptores*, in quibus eminent MATTHAEI GOTTFRIED PVRMANNI 25 *sonderbare Schuß-Wunden-Curen*, Bresliae 1687. in 8. EIVSDEM 50 *sonder- und wunderbare Schuß-Wunden-Curen*, Lips. 1693. in 8. caet. EIVSDEM *curiosae observationes chirurgicae*, Francof. & Lips. 1710. in 4. Ioh CASP. SCHWARZII *vier Dutzend Anmerkungen von gebauenen, gestochenen, geschossenen und andern zufälligen Wunden*, Hamburgi 1713. in 8. *Fünftes Dutzend* ibid. 1718. Praetereo generales *observationum chirurgicarum scriptores*, in quibus multae passim occurunt per militiam, aut in bellicis valerudinariis factae: quemadmodum etiam libros de specialibus aut singularibus chirurgiae castrensis

sis argumentis, ut e. g. WALTHERI SCHVLZII
verlezter Kopf, GVIL. FABRICII HILDANI Tra-
etat von Brennen welches mit gliender Materie geschie-
het: EIVSDEM Tractat von Heilung der geschoffenen
Wunden; &c. Generatim laudandae sunt, non hic
propter multitudinem enumerandae, eximiae Differ-
tationes Academicae ad chirurgiam pertinentes: item-
que plurimi Gallorum recentiorum libri vel observati-
onum vel de singularibus argumentis, sua quidem
lingua exarati; unde perspicitur utilitas cognitionis
utriusque linguae, tum Latinae, tum Gallicae, vt &
saepe aliarum ad chirurgum perfectiorem erudiendum,
siquidem non omnes eiusmodi boni libri in vernacu-
lam nostram conversi sunt, neque semper satis bene,
quotquot ita redditii sunt.

§. XX.

Quod ad sanitatem, mores, ac virtutes chirur-
gi bellici attinet, ea quae medicum hic decere supra
monitum est, tanto magis chirурgo cuiusvis ordinis
conveniunt, quo frequentius inter milites aegros eius
opera desideratur. Vt autem ipsi in curationibus suis
gravioribus, aut ubicunque maior eruditio & do-
ctrinae copia requiritur, medicum supremum consu-
lere necessum habent, & ab eius consiliis monitisque
pendere: Sic superiores aut primarii reliquis exem-
plum officiorum faciendorum praebeant, eorum mo-
res, actiones, instrumenta, apparatus, medicamen-
ta, curationes, ministeria, similiaque diligenter assi-
dueque inspiciant, eosdem, ubi opus est, admoneant,
condoceant, corrigant, ipso opere praeant.

C

§. XXI.

48 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

§. XXI.

De necessitate pharmacopoei bene constituti valitudinarii nemo dubitabit. Huius de dotibus autem nihil peculiariter monendum videtur, nisi ut eorum, quae communia huic arti sunt, probe gnarus & satagens, in virtutibus, moribusque similis sit medico & chirurgo, quemadmodum de his antea dictum est: caeterum medicis & chirurgis, qui ei medicamenta paranda praescribunt, obsequium praefert; ipse vero sibi commissos additosve ministros aut adiutores inspectet, regat, & iisdem exemplo sit,

§. XXII.

Vt vero medici & chirurgi, curationum suarum finem rite consequantur, opus est pluribus ad eandem rem inservientibus, puta, qui aegris assistant, medicamenta porrigant, cibos potusque praebant, eos rerum agendarum commonefaciant, adhortentur, consolentur, adiuvent in corpore membrisve movendis, levandis, ducendis, vestiendis, exuendis, & quae sunt similia, tum, qui mundent & calefaciant aut refrigerant cubicula, lintearia, vestimenta, lectos, utensilia; qui medicum, quoties opus, ecclesiasten, chirurgum arcessant, aut quae necessaria sunt illis requirant, medicamenta aliaque a pharmacopoeo suisve locis petant atque afferant; & quae sunt plura eiusmodi non parui momenti sub justo ordine ministeria. Facile enim intelligitur, admodum necessariam esse operam talium hominum assistentium, clinicorum, parabolatorum, nosocomorum, famulorum, ancillarum, seu potius

potius mulierum proiectioris aetatis & iam matrimonio defunctorum, certe honestarum, & quibuscumque aliis nominibus appellantur. Neque minus perspicuum est, his omnibus suas partes in salute aegrotantium adiuvanda sedulo obeundas esse, quemadmodum olim Hippocrates 8) praecepit, *debere etiam eos, qui praefeo sunt aegro, ita se gerere, ut quae conve- niunt, faciant.* Oportet autem in hunc finem, cum primis esse φιλανθρωπες, humanos commodosque, tae- diorum laborumque ac vigiliarum patientes, sobrios ac temperantes, manum a rebus alienis continentem, medicorum praceptis obsequentes neque quicquam alicuius ad valetudinem momenti in cibis, potibus, remediis, caeterisque, per se & praeter vel contra consilium illorum audentes, aut temere innovantes. Quapropter medicorum est idoneos huius generis homines eligere, posteaque diligenter attendere, an mandatis munis recte probeque fungantur. Cum ministro sacrorum & praefecto vel oeconomo valetudinarii, hoc tantum agendum incumbit medico, ut eos vel ipse vel per alios admoneat, si quid in salutem decumbentium vel a rebus divinis administrandis de- siderabitur, vel pro valetudinario aegrisque & homini- bus eo pertinentibus erogandum comparandumque fuerit.

§. XXIII.

Medicamenta, quorum praecipuus & frequens u-
sus in valetudinario bellico est, ut semper in promtu,
iusta copia, probeque praeparata sint, curandum erit.
Ea enumerare nimis longum foret: poterunt autem
adhi-

8) Aphorismo I.

C 2



20 DE VALETVDINARIIS BELLICIS

adhiberi singulares libri, in quibus percensentur: ut
GVL. FABRICII HILDANI *Feldkasten, oder Ver-
zeichniß der vornehmsten Arzeneyen und Instrumenten,
mit welchen ein Feld-Medicus und Feld-Scherer soll
versehen seyn: DAN. LVDOVICI* *delineatio pharma-
copoeiae castrensis, libro de morbis castrensis adie-
cta, quae praeципue laudatur: cista medica & chirurgi-
ca, GOTTSCEDII & BLVMENTROSTII* dissertationi,
de medico castrensi exercitui Moscovitarum
praefecto subiunctae: **CASP. SCHROETERS** *Bes-
schreibung eines Feld-Kastens, in libro suo wohl pra-
etificirter Feld-Scherer: OTTON. IVSTI WREDEN*
Unterricht vom chirurgischen Feld-Kasten, Hannoverae 1743. in 8. *Pharmacopée composée par l'ordre du
Duc de Cumberland, iam indicata §. XII.* Praeter ista
vero norit medicus etiam ex omni vulgarique rerum
naturalium materia, ubicunque obvia est, & ubi casus
& necessitas iubent, promere, parare, ac suppeditare
remedia; cuiusmodi quidem etiam a **MINDERERO**
complura per totum librum indicantur. Generatim
autem fortiora validioraque medicamenta, quae for-
tassis aliis debilioribus aegris nocerent, in militum du-
ris robustisque corporibus conducunt, quo scilicet
facultas remedii viribus corporis respondeat. Id quod
etiam de sanguinis missione, similibusque auxiliis te-
nendum. Instrumentorum pro chirurgicis operacio-
nibus magna necessitas in expeditionibus bellicis oc-
currit, potissimum pro vulneribus & fracturis curan-
dis, sanguine sistendo, & similibus, quae ergo sem-
per expedita, beneque comparata sint oportet. Quae
nominatim hic convenientia, vel in libris proxime di-
Etis

Eis videri poterit, vel ex propriis de tota instrumentorum materia voluminibus excépi, ut Ioh. SCVLTETI *Armamentario chirurgico*, & opere GAREN-
GEOTI gallico, germanice etiam reddito *de instru-
mentis chirurgicis*; vel ex generalibus chirurgicarum
rerum praeceptionibus repeti poterunt. Ante omnia
quoque plenum *fasciarum*, *spleniorum*, *linamentorum*,
similiumque apparatum desiderari pro bellico valetudinario,
manifestum est.

§. XXIV.

Ciborum potuumque sufficiens copia eo magis in nosocomio militari requiritur, quo magis milites pleniori victui assueti sunt, quoque magis ex talibus casibus decumbunt, qui tenuem victum minus postulant. Et quam robustiores duriorisque vitae generis sint, etiam fortioribus valentiorisque materiae cibis & portibus per ipsos morbos sustentandi erunt. Nam vitae vires in morbis quoque ante omnia conservandae sunt, quantum per morbi rationes licet: siquidem his viribus potissimum morbus erit superandus. Sustinentur autem vires alimentis, & quidem eiusmodi, quae similes possident dotes, ac sunt eorum ex quibus corpus iam constat; quorum quidem ea quoque referuntur, quae consueta sunt, tam respectu facultatum, quam modi & mensurae. Haec suadent adeoque iubent in aegris militibus uberiorem pariter ac valentiorem adhibere victum: praesertim si ex eius generis affectionibus aut malis aegri sunt, quae tales victum non veant, sed permittunt; cuius generis sunt externa mala, nisi febris se illis adiungat, vulneraria plerumque

vel alia inflammationis socius. Tum enim utique plenior aut valentior vietus interdicendus est: quemadmodum etiam iis in casibus, ubi febris est morbus idiopathicus aut primarius; idque eo magis quia militaris sive castrensis febris solet esse malignioris generis: Nam sub tali conditione multo minus valentior cibus convenit, quoniam vires prostratae sunt, quibus subigi tamen ille deberet. Ut autem alias hic alimenta validiora praestant, ita praesertim apta sunt, ubi iam convalescere coeperint aegroti: tum enim in primis opera danda erit, ut quantocius pristinum ad militiam agendam robur recuperent,

§. XXV.

Quandoquidem vero, sicut iam animaduersum est, morbi castrenses & valetudinariorum bellicorum interni, esse plurimam partem solent maligni moris, ideoque coniunctam habere magnam virium vitalium iacturam, quae quidem corruptionem humorum ac putredinem, a similibus corruptis putridisve cibis ac potibus, tum etiam exhalationibus inductam, agnoscit fontem; in primis sollicite providendum erit, ut cibi potusque, qui talibus aegris propinentur, naturali praediti sint integritate, simulque paululum spirituosa & acidulae sint naturae, quales nimirum optimè valent ad corrigenda putrida, viresque instaurandas. Vnde bona cerevisia, & aliquid interdum vini fragrantis aciduli merito fese commendant ad prudentem usum. Quamprimum vero situs vel corruptio aut putredo in rebus alimentariis sentitur, eae confessim

stim abiicienda, recentibus in ipsorum locum sub-
eunribus.

§. XXVI.

Vt in valetudinariis militum recte carentur aegri, oportet se iungere eos, quorum morbi aut mala
ira diversa sunt, vt vel unum alteri repugnet, vel
impedimentum curationi molestiamve addat, vel quo-
rum tractatio ex toto distat; quemadmodum in supe-
rioribus (§. VIII.) significatum est. His igitur de cau-
sis necesse erit, ut satis sit lectorum cum reliquo suo
apparatu, quo omnis generis aegrotis sufficient, ne
cogamur plures, quam commodum aut salubre est,
praesertim vero diversis sibique invicem contrariis gra-
vibusque laborantes affectionibus, in unum constipa-
re cubile,

§. XXVII.

Porro, notum est, fordes & inquinamenta, ma-
xime, quae ex morbo corrupto corpore sunt, la-
bem affricare partibus, quibus applicantur, & similes
inducere corruptiones. Quapropter sedulo purgan-
da erunt linteas & vestimenta, saepiusque renovanda;
praesertim antequam aliis admoveantur hominibus.
Neque nocet perspirationi, nova linta & industia per-
mutare cum veteribus, modo ista nova probe fuerint
calefacta. Hac etiam mundicie & frequentiori muta-
tione corporis tegumentorum, pediculis, communis va-
letudinariorum molestiae resultatur, quibus decumben-
tes miserrime excruciantur.

§. XXVIII.

14 DE VALETUDINARIIS BELLICIS

§. XXVIII.

Ob copiam decumbentium in valetudinariis bellicis, necessitas quidem urget aegris duriora cubilia sternere, quale dat stramen sacco linteo involutum; attamen militibus aegris sufficient. Experientia enim docet, tales stragulas melius afficere, quam moliores, partim quia durioris ipsi corporis ac membrorum sunt, partim quia confueverunt duris stragulis uti, *quod autem contra consuetudinem est*, monente CELSO, 9) nocet seu molle seu durum est.

§. XXIX.

Ad curationes aegrorum, praesertim ubi magnus eorum numerus uno in loco collectus est, multum confert ipsa loci, quo constituantur valetudinaria, salubritas. Haec autem postulat, ut aer libere accedere, cumprimis ab oriente sole, & mediterraneis regionibus possit, & tum salubres halitus secum afferre, tum inutiles & noxios aegrorum & nosocomii dissipare: ut quam longissime remotae sint paludes, lacus, aquae stagnantes, & quaelibet fordium corruptarum rerum receptacula, unde prodeuntes graves halitus vel morbos decumbentium peiores reddere vel novos inducere iisdem & ipsis curantibus possint. Ne vero mala nosocomii civibus affluent, id quod vitare profecto aequum est; convenit valetudinario locum solum assignare, ab aliarum domuum vicinitate, quo ad fieri potest, distantem.

§. XXX.

9) *De Medicina Lib. I. p. 27. editionis Almelovenianaæ.*

§. XXX.

Iisdem ex rationibus curandum semper sedulo erit, ut cubicula nosocomii pura sint & a quibuslibet inquinamentis affidue liberentur. Quapropter non tantum sordes cuiusvis generis diligenter erunt eliminandae, sed etiam opus est, ut fenebris subinde aperitis aër halitibus aegrorum contaminatus eiiciatur, recens contra purior admittatur: itemque ut spiraculis instruantur conclavia, quae graves halitus perpetuo evehant. Qua tamen in re cavendum, ne recens statim & frigidus aëris aegris calentibus aspiret.

§. XXXI.

Satis constat morborum indolem cum primis gravem ac malignam fieri a multitudine aegrorum, uno in loco constipatorum atque accumulatorum. Ostensum quoque est, a contubernio plurium & diversi generis aegrorum mutua nasci curationum impedimenta. Inde autem in promptu est colligere, valetudinariorum spatiosam requiri amplitudinem, loca singulorum ob contagii aut noxae vel impedimenti metum separanda, & pro diversitate morborum vitiorumve aegros distincte collocandos.

§. XXXII.

Inde vero pariter licet colligere, consultum admodum esse, ut diversa & a se invicem aliquantum distantia constituantur aedificia, quo sine malorum comp-

D

muni-

municatione eo magis a mutuo commercio removēri possint eiusmodi aegri, quorum morbi ita differeunt, ut contagia invicem spargere & recipere possint, aut etiam nimiam molestiam afferre vel pati. Sic malignis febribus epidemicis & dysenteria decumbentes propriis inferre aedificiis, consentaneum est, ne suis alios malis inficiant: & foeditatibus venereis implicitis item suum assignare tectum, ne turpitudine & inquinamentis suis caeteros graviter affligant.

§. XXXIII.

Sive autem uno constet valetudinarium aedificio, sive pluribus, hoc appareat generatim, in plures partes, cubicula, cameras, hypocausta, dividendum esse, ut sua sint loca aegrōtis, hisque iplis satis multa, eademque pro diversis aegrorum generibus diversa: sua vulneratis, sua febricitantibus, sua inflammatis in partium aut viscerum aliquo, sua furiosis, scorbuticis, scabiosis, omnibus vero satis spatiosa: Sua porro loca cibis parandis servandisque, sua clinicis assistentibus, ministris, famulis, coquis. Quae tamen speciatim particulatimve hic exponere, nimis longum foret.

§. XXXIV.

Plures adhuc aedificii valetudinarii divisiones es-
tent facienda, si medicis quoque, chirurgis, ac phar-
macopoeis, cum suis officinis & apparatus, habi-
tacula ibi construere necesse foret, nec non sacrorum
admi-

administro & loci praefecto. Verum aequum est, ne nimium impleatur valetudinarium, & praestat viris dilectorum munerum alia in vicino domicilia esse, quibus res suas liberius tranquillusque agere possint & officinas suas explicare: ne dicam, ita partim lautius, decentius atque iucundius eos habitare, partim tutiores a concipiendis morborum contagiis esse, quorum alterum viris eius dignitatis atque necessitatis non invidendum erit, alterum etiam ultiro adiuvandum providendumque.

§. XXXV.

Sic bene constitutis valetudinariis bellicis requiritur etiam, ut aegri, quod ipsis in suam salutem faciendum est, faciant. Altas enim ea stultitia inter gregarios milites radices egit, ut, si corripiantur morbo, abhorreant intrare valetudinaria, exitumque morbi in castris exspectare malint. Praepositi eorum hac in re illis nimis frequenter indulgent, attamen maximo eorum detimento. In castris enim nec tempus nec locus est, ubi malis eorum bene recteque prospici possit. Pessime morbo iam adulto sinunt se portari in valetudinarium, ubi, quod dolendum, hanc dilationem nimiam saepe vita, aut saltim perpetuo deinde valetudinis detimento luunt. Necesse igitur est, ut praepositi militum consensu chirurgorum legionariorum, morbo si corripiuntur milites, hos sine ulla indulgentia & mora ad valetudinaria transferri iubent. At si, quod pessimum est, morbum usque ad extre-

28 DE VALETUDIN. BELLICIS BENE CONSTITVEND.

extremum celaverint, gravi poena multandi sunt.
Non est enim semper in potestate medicorum chirur-
gorumque valetudinariorum, morbum in maioru gra-
du saevientem tollere: si etiam hoc fieri posset, mul-
to longius tamen tempus curatione
consumeretur.

.VXXX .3.



00 A 6300



Sb.

09.03.81.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

DISSE^TRAT^O M^EDICA IN AVGVRALIS
DE
VALETVDINARIIS BELLICIS
BENE CONSTITVENDIS.

QVAM
ANNVENTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO III.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE
REGE, ELECTORE AC DVCE BRVNNSVICENSIVM
AC LVNEBVRGENSIVM &c.

CONSENTIENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO

PRO
OBTINENDIS DOCTORIS MEDICI
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DIE XXVII. NOVEMBR. MDCCCLIX.

PUBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIEDERICVS LESCHEN

BARTOLFELDA - HANNOVERANVS.

GOTTINGAE
LITTERIS HAGERIANIS.